RECTOR
VNIVERSITATIS LIPSIENSIS
AD
SACRA NATALITIA
DOMINI NOSTRI
IESV CHRISTI
A. DOM. MDCCCXXVIII.

PIE CELEBRANDA INVITAT

INTERPRETE

IVLIO FRIDERICO WINZER

ORD. THEOL. H. T. DECANO.

Illustratur locus Paulli ad Romanos epistolae Cap. XI, 25. 26.

Quod in principio epiſtolae ad Romanos ſcriptae (cap. I, 16.) obſcurius ſignificauerat ac deinde apertiſſime planiſſimeque explicuerat Paullus, tam Iudaeis quam gentilibus ſpem veniae peccatorum et ſalutis per fidem in Chriſtum obtinendae paratam eſſe atque oblatam: id fieri non poterat quin concitaret ac conturbaret animos Chriſtianorum ex Iudaeis, qui tum popularium ſuorum contumaciam non credendi indeque ſequuturam ex Meſſiae regno eiectionem, tum gentilium ad Ieſum Meſſiam conuerſionem, nec cum promiſſionibus Dei, quas Iudaeis tamquam genti ſibi propriae dediſſet, nec cum ſummâ dignitate illâ, quam ſibi tamquam ſelectae a Deo genti finxerant eſſe certam, conciliare poterant. Quos ſcrupulos vt ex illorum animis euellat Apoſtolus, per integra tria capita, nonum, decimum atque vndecimum, quae arctiſſime inter ſe cohaerent, de abrogatâ Iudaeorum dignitate ac gentilium in Dei populum receptione diſputare inſtituit. Et nono quidem capite primum Iudaeorum, quorum inſignem fuiſſe principatum largitur, praeſentem miſeriam grauiſſime dolet. Tum repudiationem eorum non repugnare Dei promiſſis oſtendit, quippe quae non ad progeniem Abrahami atque Iſaaci naturalem, ſed ad ſpiritualem potius, i. e. non ad homines eos, qui gente et natalibus ſint Iſraëlitae, ſed ad eos

pertineant, quos partim ex Iudaeis, partim ex gentibus, absque vllo ipsorum merito, ex solâ benignitate liberrimâ, sapientissimis tamen consiliis moderatâ, bonis promissis ornare Deus decreuerit. Denique repudiationis istius caussam penes ipsos Iudaeos esse declarat, idque locis ex V. T. allatis confirmat. Cuius quidem argumenti tractationem capite decimo persequitur ita, vt, suam erga Iudaeos beneuolentiam atque ardentissimum salutis eorum promouendae studium testatus, doceat, vehementer errare Iudaeos, qui praeceptorum et rituum Mosaicorum studio pertinaciter adhaereant, nec potius in Dei gratiâ, per Iesum Christum hominibus partâ atque oblatâ, spem et fiduciam reponant; eosdemque nihil habere, quo peruicaciam suam excusent, quandoquidem cognoscendae euangelicae doctrinae occasionem vtique habuerint, et, beneficia ab ipsis repudiata gentilibus exhibitum iri, a Mose et Iesaiâ iam dudum fuerint edocti. Quibus expositis, capite vndecimo declarat primum, non tamen omnes omnino Iudaeos a Deo esse reiectos, sed multos eorum Christo iam nomen dedisse, tametsi plerique etiamnum sint contumaces; deinde, Iudaeorum peruicaciam prodesse gentilibus, quibus tamen cauendum sit, ne efferantur animo Iudaeosque despiciant; porro, certissime sperandum esse, fore, vt vniuersa aliquando gens Iudaica Christianorum societati et felicitati adiungatur; denique, admirabilem esse consiliorum Dei benignitatem et sapientiam. — Quâ in disputatione quum ea potissimum, quae sub finem eius de vniuerso populo Judaico ad Christum accessuro praenuntiasse Paullum statuimus, dubitationem plus vnam mouerint permultis iisque magni nominis interpretibus, in veram dictorum Apostoli

rationem ac ſententiam, agite, Ciues, inquiramus. Leguntur autem haecce cap. XI, 25. 26:

Οὐ γαρ θελω ὑμας ἀγνοειν, ἀδελφοι, το μυςτηριον τουτο, ἱνα μη ἠτε παρ᾽ ἑαυτοις φρονιμοι, ὁτι πωρωσις ἀπο μερους τω Ἰσραηλ γεγονεν, ἀχρις οὑ το πληρωμα των ἐθνων εἰσελθη· και οὑτω πας Ἰσραηλ σωθησεται.

Ex ſuperioribus ſuſpenſa haec eſſe verba, indicio eſt particula *γαρ*, quae nec conſequens eſt, vt reddenda ſit *igitur*, nec pro *δε* poſita eſt, nec, quod Koppio viſum, tranſitum facit, ſed antecedentis ſententiae reddit rationem. Quod quum rectiſſime cenſuiſſet Jo. Frid. Flattius in Commentar. ad h. l., item in Diſſ. ad loca quaedam ep. Paulli ad Rom. p. 29 ſqq., quae iam inſerta legitur Eiuſdem opuſculis academicis (Tubing. 1826. 8.) p. 405 sq., in incerto tamen reliquit, vtrum ad poſteriorem verſus 23. partem, an ad eiuſdem commatis enuntiatum prius, eſſet illud referendum. Ego, ſi quid video, non dubito, quin hoc praeferam alterum et nexum ſic conſtituam. In principio v. 23. Paullus, de *ſui aeui* Iudaeis adhuc reiectis diſſerens: illi, inquit, niſi pertinaces eſſe perrexerint, *ἐγκεντριςθησονται*, i. e. (non: *inſeri poterunt*, quod poſt alios multos Koppius, Flattius et Tholuckius volunt, ſed) *inſerentur*, ſc. oleae cultae, de quâ tamquam rami ſteriles ſunt exciſi, i. e. in populum Dei reſtituentur. Id vero tribus deinde confirmat argumentis. Primum, a potentiâ Dei petitum, v. 23. ſubiungit. Secundum v. 24. ducit ab rei facilitate, quum iſta inſitio non ſit *παρα φυσιν*, qualis erat gentilium, quos oleaſtri ramis comparat, inſitio, ſed *κατα*

φυσιν. Tertium tandem, a conuerſionis Iudaeorum *omnium* futurae certitudine et veritate ductum, verſſ. 25. et 26. affert. Itaque ab re *toti populo* euenturâ colligit hoc, quod *quibuſdam* eius membris eucnturum eſſe dixerat. — Quae vero monenda iam habet, iis praemittit phraſin: οὐ θελω ὑμας ἀγνοειν, vſurpari ſibi ſolitam, modo vbi memoriam vellet rei cognitae repetere lectores, modo (veluti h. l.) quum in eo eſſet, vt inauditam, nouam aut magni momenti rem expromeret. Cf. Rom. I, 13. 1. Cor. X, 1. XII, 1. 2. Cor. I, 8. 1. Theſſ. IV, 13. Homines autem, ad quos orationem dirigit, puta *fidei ſocios*, antea gentiles (cf. v. 13.), nunc οἰκειους της πιςτεως (Gal. VI, 10.), nomine ἀδελφων inſignit, hac appellatione declaraturus ſuum erga iſtos amorem, et beneuolentiam eorum ſibi conciliaturus. Ipſam vero, quam enuntiare conſtituit, rem dicit μυςτηριον, cuius vocis originem et ſignificationem varie expreſſerunt olim viri docti, neque eodem plane modo nunc definiunt. Probabiliter a tertiâ Praeter. paſſ. μεμυςται manarunt μυςτης et μυςτηρ, hinc μυςτηριον. Iam vero μυειν pr. ſignificauit *premere*, *premendo claudere*, et ſingulatim *os* diductum compreſſis labiis *claudere*. Vnde μυςτης et μυςτηρ pr. eſt, *qui os claudit* vel *clauſum habet*. Eximie vero ſic dicebatur *ſacris initiatus*, quia, vt ait Euſtathius, oportebat τους μυςτας μυειν το στομα, και μη ἐκφαινειν, ἁ μεμυηνται, *ſacris initiatos* oportebat *os claudere*, *neque ea pateſacere*, *quae erant edocti*. Hinc μυστηριον proprie notare videtur *rem ſacram ſilentio tegendam* et *profanos*, ſeu non initiatos, *diligenter celandam*. Cf. Lennep. Etymologic. linguae gr. cur. Scheid. p. 441. ed. alt. Sed N. T. ſcriptoribus genera-

tim dicitur *res occulta*, *arcana*. Qualis quum fuiſſet inprimis Dei voluntas, cunctis hominibus ſalutem per Chriſtum afferendi, vtpote per euangelicam demum doctrinam patefacta: ideo voc. *μυςτηριον* mox de vniuerſâ doctrinâ Chriſtianâ, mox de ſingulis quibuſdam eius partibus adhibetur. Ita igitur hoc etiam loco, quam Paullus traditurus eſt *rem incognitam*, eam *μυςτηριον* vocat. Etenim ante promulgationem eius ab Apoſtolo factam nemo erat Chriſtianorum ex *gentilibus*, cui de eâ quidquam conſtaret. Ex *gentilibus* dico; nam Iudaeos aut Iudaeochriſtianos animo praeſagire rem illam ex Apoſtoli ſententiâ potuiſſe, efficitur ex eo, quod vates V. T. eam praedixiſſe in ſequentibus perhibentur.

Cur vero ipſe nolit, homines, quos alloquitur, rem illam amplius ignorare, hanc ſubiicit cauſſam: *ἱνα μη ἡτε παρ᾽ ἑαυτοις φρονιμοι*, *vt ne vobis ſapiatis*, i. e. ne ſapere vobis videamini, ne veſtram de Iudaeis ſentiendi rationem eſſe veram et conſiliis Dei conſentaneam exiſtimetis, ideoque vobis nimium placeatis, cum contemtu Iudaeorum. Diſputat enim aduerſus eos, qui, quoniam Iudaeos gratiâ diuinâ iam plane excluſos eſſe, ſemperque a Deo reiectum iri opinabantur, contra illos inſoleſcebant. Quam temeritatem ſuppreſſurus, quemadmodum v. 18. dixerat: *μη κατακαυχω των κλαδων*, et v. 20: *μη ὑψηλοφρονει*, ita hic, vt eo magis, ſerio rem agi, appareret, tertiam ſubiunxit admonitionem: *ἱνα μη ἡτε παρ᾽ ἑαυτοις φρονιμοι*, quam recte Theodoretus explicuit: *ἱνα μη, σφοδρα ἡγουμενοι ἑαυτους συνετους, ὑψηλον ἐντευθεν εἰςδεξησθε φρονημα*. Caeterum formula iſta, quae repetita legitur infra c. XII, 16, eſt hebraica. Cf. Prov. III, 7: אַל־תְּהִי חָכָם בְּעֵינֶיךָ, vbi LXX: *μη ἰσθι φρο-*

νιμος παρα σεαυτω. Similiter LXX. Ief. VI, 21: ουαι οἱ συνετοι ἐν ἑαυτοις, και ἐνωπιον αὐτων ἐπιςημονες.

Sequitur iam ipfa illius μυςηριου declaratio, quae incipit ab verbis: ὁτι πωρωσις ἀπο μερους τω Ἰσραηλ γεγονεν, *ftuporem ex parte obtigiffe genti Ifraëliticae*, et terminatur verbo σωθησεται v. 26. Vox πωρωσεως originem ducit ab voc. πωρος, quod *callum* notat, fiue duritiem in articulis manuum et pedum fuccrefcentem, quae fenfum aut obtufiorem reddit aut plane tollit. Hinc eft πωρουν et πωρουςθαι, *callum obducere*, *obdurefcere*, noftrumque πωρωσις, quod Beza *obdurationem* reddidit, Vulgatus autem, Erafmus, Lutherus aliique (Syro praeeunte) *coecitatem*. Pariter Suidas πωρωσιν interpretatur τυφλωσιν, Hefychius vero ἀναιςθησιαν. Quod fane vtrumque poteft defendi; quandoquidem coecitas idem eft in oculis (et corporis et mentis), quod callus in manuum et pedum articulis, atque ad animum hominis tranflata ab eius duritie parum differt. *Stuporis* vocabulum h. l. pofuerim propterea, quia dubium videri poffit, num ad mentem an ad voluntatem Iudaeorum, an, quod veri eft fimilius, ad hanc illamque fimul, την πωρωσιν Paullus retulerit. Cernebatur enim πωρωσις illa, rem fi fpectaueris, in eo, quod, peruerfis opinionibus quafi occoecati animoque obfirmati, veram, quâ Deo probantur homines, rationem nefcirent, eam contra, quae ipfis videbatur talis effe, ratam facere ftuderent, ficque ordini falutis obtinendae abs ipfo Deo conftituto fe fubiicere recufarent (ἀγνοουντες την του θεου δικαιοσυνην, καὶ τὴν ἰδιαν δικαιοσυνην ζητουντες στησαι, τη δικαιοσυνη του θεου οὐχ ὑπεταγησαν). Cf. c. X, 3. Haec igitur πωρωσις *genti Ifraëli-*

ticae obtigit, *τω Ἰσραηλ γεγονεν*, quod idem eſt ac ſi *ἐπωρωθη ὁ Ἰσραὴλ* ſcripſiſſet Apoſtolus. Sed additur *ἀπο μερους*. Et hoc quidem *ἀπο μερους* fuerunt qui ad *tempus* referrent, quod ſc. non perpetua eſſet *πώρωσις* futura, ſed tantum temporaria; quo tamen ſenſu, quod ſciam, nuſquam vſurpatur. Alii plerique coniungunt cum *τω Ἰσραηλ*, ita vt indicari hoc ſtatuant, *την πωρωσιν* haud vniuerſum inuaſiſſe populum, ſed aliquam tantum eius partem occupaſſe. Itaque *ἀπο μερους τω Ἰσραηλ* explicant: *τισι των Ἰσραηλιτων*, prouocantes ad v. 17, vbi Paullus eoſdem, quos hic, homines deſcripſerit verbis: *τινες των κλαδων*. Atque hanc explicationem putant confirmari tum eo, quod *ἀπο μερους τω Ἰσραηλ* opponatur verbis *πας Ἰσραηλ* v. 26. tum ipſius rei veritate, quandoquidem ſatis multi Iſraëlitarum iam Paulli tempore ſuſceperint doctrinam Chriſtianam. Hoc eſt quod Theodoretus ad h. l. monuit: *το ἀπο μερους τεθεικε, διδασκων, ὡς οὐ παντες ἠπιςτησαν· πολλοι γαρ και ἐξ ἐκεινων ἐπιςτευσαν.* Et ſic quâ ſenſum quidem veriſſime. At de ſtructurâ verborum ſi quaeritur, *ἀπο μερους* hauddubie ſeparandum eſt a *τω Ἰσραηλ*, et iungendum verbo *γεγονεν*. Etenim ſi eo, quem dixerunt, modo copulari verba volebat Apoſtolus, et ſimplicem hanc cogitari notionem: *parti gentis Iſraëliticae πωρωςις obtigit*, dicere debebat *μερει του Ἰσραηλ*, non *ἀπο μερους τω Ἰσραηλ*. Accedit, quod phraſis *ἀπο μερους*, quotieſcunque a Paullo vſurpata legitur, vim habet aduerbii *quodammodo* (quo ſenſu iam Caluinus intellexit h. l.), atque ad verbum appoſitum refertur. Cf. Rom. XV, 15. 24. 2. Cor. I, 14. II, 5. Quare cum Fritzſchio, quem in his ſequimur (vid. Diſſ. I. de nonnullis ep. II. ad Co-

rinth. locis, p. 17 sq.), sententiam sic constituendam esse putamus: *Gens Israëlitica* (Iudaica) *quodammodo* ἐπωρωθη· *quodammodo*, quoniam aliqua tantum eius pars ἐπωρωθη, et tamen *gens* Israëlitica, quia, quae partem gentis occupauit πωρωσις, ea gentem ipsam attingit.

At non sempiternam fore πωρωσιν istam, sed tandem aliquando finem habituram, verbis sequentibus: ἀχρις οὑ το πληρωμα των ἐθνων εἰςελθη, ita exprimit Paullus, vt certum simul illius terminum constituat. De quo tamen secus visum est permultis. Nempe quia ἀχρι durationem rei, non finem eius, indicat: ideo verba illa reddenda censuere: *quamdiu intrat*, vel *intrabit*, *multitudo gentium;* iamque ex eo, quod nullis hic introitus videretur esse terminis circumscriptus, voluerunt hoc efficere, την πωρωσιν Iudaeorum ex Apostoli mente numquam esse desituram. Quorum sententiam probare non possumus duplici de caussâ. Prima eaque grammatica haec est: quibus in locis ἀχρι aut ἀχρις οὑ sic ponitur, vt *quamdiu* significet, sequitur praesens; veluti 2. Maccab. XIV, 10: ἀχρι Ἰουδας περιεστιν, *quamdiu Iudas superstes est;* Hebr. III, 13: ἀχρις οὑ το σημερον καλειται, *quamdiu illud* **hodie** *clamatur.* Sed vbi aoristus coniunctiui sequitur, cogitanda est res, de quâ agitur, ad illud vsque tempus duratura, quo res quaedam alia, quae subiicitur, eaque futura, ad finem fuerit perducta. Sic Gal. III, 19. foederi cum Abrahamo inito adiecta esse dicitur lex, ἀχρις οὑ ἐλθη το σπερμα, *valitura*, *vsque dum venisset proles.* 1. Cor. XI, 26. dicit Apostolus Corinthiis: Domini mortem nuntiatis (vel: laudibus celebrate), ἀχρις οὑ ἀν ἐλθη, *usque*

dum venerit. Itaque hoc nostro etiam loco iudicandus erit Paullus hoc sibi voluisse: *stupor occupauit Judaeos, ad illud vsque tempus duraturus, quo το πληρωμα gentium introierit.* Alterum accedit argumentum, a consilio Apostoli et sententiarum serie petitum. Propositum enim erat Paullo, non solum hortari gentes, ne aduersus Iudaeos efferrentur, sed etiam hos consolari, ne animum abiicerent, tamquam de spe salutis populi sui actum esset in omne tempus. At quale solatium fuisset, si dixisset Apostolus, numquam cessaturam ipsorum πωρωσιν? Et quo tandem modo haec enuntiatio conueniret cum iis, quae de futurâ (Iudaeorum) insitione in oleam v. 23. confidenter ille dixerat? Obtiuet igitur haec sententia: *Postquam το πληρωμα gentium intrauerit, tunc ἡ πωρωσις Iudaeorum non amplius erit.* Sed, το πληρωμα των ἐθνων quidnam sit, quaeritur. Nempe quum πληρωμα in locis Matth. IX, 16. et Marc. II, 21. *supplementum*, vestimento veteri, loco abrupti panni, additum designet: fuerunt, qui hic quoque *supplementi* significatione vocem istam acciperent, quandoquidem locum in ecclesiâ, quem per ἀπιςτιαν suam vacuum reliquissent Iudaei, supplere gentes debuissent. Quod longius repetitum esse, vnus quisque facile intelliget. Propius ab veritate abesse eorum videtur sententia, qui *magnam* putant *gentilium copiam* indicari. Etenim dubitari nequit, quin πλήρωμα et πληθος ex vsu linguae sibi respondeant. At non simpliciter πληρωμα των ἐθνων hic legitur, sed το πληρωμα των ἐθνων, quibus verbis *vniuersa* potius *gentium multitudo*, siue *integer* earum *numerus* (*die Vollzahl, die Gesammtheit der Heiden*), significatur; quo

ſenſu *το πληρωμα* ſupra dicebatur v. 12. huius capitis, quoque eodem alibi etiam adhibetur hoc vocabulum, e. c. Epheſ. I, 23. Neque tamen illam ſignificationem eo vſque licet extendere, vt nullum plane hominem ex gentibus excipias. Immo nihil amplius notatur, quam quod verbis ineſt vſitatiſſimis: *παντα τα ἐθνη.* — Verbum *εἰςελθη* acceſſionem *ad coetum populi Deo conſecrati*, i. e. ad Chriſtianorum ſocietatem, notare, in eo quidem recte conſentiunt omnes. Nolim vero cum interpretibus pleriſque ſupplere *εἰς την βασιλειαν του θεου* ſiue *του Χριστου* ſiue *των οὐρανων*, quippe quae verba *regnum* indicant *Meſſiae*, in quod gentiles, priuſquam Chriſtiani facti eſſent dici non poterant eſſe ingreſſuri; ſed potius *εἰς τον λαον του θεου*, vel *εἰς την ἐκκλησιαν του θεου*, quemadmodum in verſ. Alex. Deuter. XXIII, 1—3. legitur: *εἰςερχεσθαι εἰς ἐκκλησιαι κυριου.* Et ſic quoque *εἰςερχεσθαι* ſimpliciter dicitur Luc. XI, 52. de aditu ad eccleſiam Chriſti. Add. Ioann. X, 9. Caeterum futuram gentilium ad coetum Chriſtianum adductionem praedixiſſe Ieſus ipſe traditur Ioann. X, 16. coll. XI, 52.

Conſtituto ita certo quodam *πωρωσεως* Iudaicae termino, id, quod illam ſequuturum ſit, exponit Apoſtolus verbis: *και ὁυτω πας Ἰσραηλ σωθησεται.* In quibus primum hoc ſubit mirari, interpretes ad vnum omnes, qui de particulâ *ὁυτω* verba fecerunt, ad *tempus* eam retuliſſe, nec, quod debebant facere, ad rei *modum* et *rationem*. Quotquot enim laudarunt loca (Actor. VII, 8. XVII, 33. XX, 11. XXVIII, 14. 1 Cor. XI, 28. XIV, 21. 25. 1 Theſſ. IV, 17. Theophraſt. Charact. c. 18.), quibus euincere ſtuduerunt, *ὁυτω* ſaepiſſime poni pro *τοτε* vel *ἐπειτα*, ſic com-

parata ſunt omnia ac ſingula; vt propriam voculae ὀυτω poteſtatem tenere commode poſſis, et, ne ſenſum tradas pro ſignificatione, debeas retinere. Neque aliter res ſe habet hoc noſtro loco, vbi ὀυτω explicari debet: *eâ, quâ dictum eſt, ratione*, nimirum, vt prius tota gentium copia ad Chriſtum conuertatur. — Nomen *'Ισραηλ* olim permulti, inter quos ipſi Caluinus et Grotius, improprie acceperunt de *ſpirituali*, quem dicebant, *Iſraële*, ſ. de veris Iſraëlitis, i. e. de Chriſtianis (ex Iudaeis et gentibus collectis), qui c. IX, 6. pariter nomine *'Ισραηλ* et Gal. VI, 16. nomine *ὁ 'Ισραηλ του ϑεου* ſunt appellati, et ad quos ſolos ſpectaſſe promiſſiones diuinas Abrahamo datas Paullus ſtatuit. Sed ſermo hic eſt de *Iſraëlitis κατα σαρκα* (1. Cor. X, 18). Nam de iiſdem agitur tum in antecedentibus verſſ. 7—12. 14. 15. 17. 19—24. tum in ſubſequentibus verſſ. 27. 28. 30. 31. et diſerte h. l. diſtinguuntur a *τοις ἐϑνεσι*, ergo proprie dicuntur. — *Πας 'Ισραηλ* vero opponitur parti iſti populi Iſraëlitici, cui (quâ ſenſum) *πωρωσις* obtigiſſe dicebatur v. 25. Itaque vi oppoſitionis neceſſario intelligenda hic eſt *vniuerſa gens Iudaica* ſenſu latiſſimo, neutiquam vero, quod multis placuit, inſignis tantum eius numerus; licet caeteroquin veriſſimum ſit, vocabulum *πας* alibi ſaepiſſime de magnâ tantum multitudine vſurpari. — Quod autem populo Iudaico tribuitur verbum *σωϑησεται*, *beatus reddetur*, id quorſum hic ſpectet, pariter ex orationis contextu eſt diiudicandum. Opponitur enim *τῃ πωρωσει* huius populi antea commemoratae. Ab eâ igitur liberabitur populus ille, Ieſum non amplius reiiciet, ſed Meſſiam ac dominum eum agnoſcet veráque fide ſuſcipiet, ſicque bonorum, quae accepta illi referun-

tur, particeps reddetur. Hoc ſenſu Paullus v. 14. huius capitis optabat *σωσαι τινας ἐξ Ἰουδαιων*, i. e. nonnullos ſaltem Iudaeorum ad religionem et felicitatem Chriſtianorum adducere, et c. X, 1. dicebat, animi ſui deſiderium preceſque ſuas pro gente Iſraëliticâ tendere *εἰς σωτηριαν*, i. e. eo, ut ſuſcipiendâ doctrinâ euangelicâ felices redderentur. Atque eodem ſenſu *σωζειν* ponitur etiam 1 Cor. VII, 16. IX, 22. 1 Tim. IV, 16.

Ita igitur ſpem certam hic profitetur Apoſtolus, fore, vt, ſi *gentes* omnes ad Chriſtum acceſſerint, vniuerſus etiam populus *Iudaicus* Chriſtianorum ſocietati et felicitati adiungatur. Quam quidem ſententiam a Paullo hic expreſſam eſſe qui negant, facere non poſſunt, quin locum interpretando peruertant. Quo nomine obiurgandi ſunt tam ii, qui reſtringunt ſenſum voc. *πας*, et rem omnem ad prima ſaecula aerae Chriſtianae referunt, quam qui *σωθησεται* intelligunt, non de eo, quod eueuturum ſit, ſed quod *poſſit* euenire. Nam hoc ſi recte ſe haberet, vaticinia verſſ. 26. et 27. ex locis V. T. allata nihil aliud declararent, niſi hoc, fieri *poſſe*, vt Meſſias veniat, Iudaeorum contumaciam ablaturus, et fieri *poſſe*, vt Deus ineat foedus cum Iudaeis, poſtquam hi fuerint a peccatorum miſeriâ liberati; pariterque verba v. 31: *ἱνα και ἀυτοι ἐλεηθωσι*, in hunc ſenſum eſſent torquenda, *vt et ipſi in gratiam recipi poſſint*. Accedit, quod rem manifeſtam, qualis eſt haec, *poſſe* Iudaeos *multos*, aut etiam *omnes*, ad diſciplinam Chriſtianam et ſalutem adduci, Apoſtolus non dicturus erat *μυστηριον*, nec ſtudioſe ex prophetarum oraculis comprobaturus. Manet igitur hoc, verba *πας* et *σωθησεται* ſenſu proprio eſſe capienda.

Quo autem modo illam Iudaeorum conuerſionem eueuturam eſſe putauerit Paullus, id, quoniam ipſe nihil amplius eâ de re addidit, a nobis definiri plane non poteſt. Ideoque etiam hoc nemo dixerit, vtrum eam eodem tempore futuram, an per longiorem demum temporis tractum locum habituram eſſe ſperauerit, ſiue, vtrum ſimultaneam, quam dicunt, an ſucceſſiuam eorum conuerſionem exſpectauerit. Quamquam enim certum tempus quoddam v. 25. conſtituit verbis: *donec vniuerſa gentium multitudo ingreſſa fuerit in Chriſtianorum ſocietatem:* in his tamen pariter, atque in iis, quae de Iudaeorum acceſſione traduntur, indefinita eſt temporis notatio. Verum tamen quum ex multis epiſtolarum Paullinarum locis intelligatur, hoc perſuaſum habuiſſe Apoſtolum, fore, vt Chriſtus poſt breue tempus ex coelo reuertatur regnumque ſuum inauguret: neceſſe eſt, vt illam Iudaeorum conuerſionem ante reditum Chriſti futuram eſſe ſperaverit. Hac autem ſpe mox iuſtantis reditus Chriſti quum exciderit, etiam ea, quae de Iudaeis hic tradidit religionem Chriſtianam amplexuris, dici vix poterit alio ex fonte hauſiſſe, quam ex animo pietatis caritatiſque ſenſu pleniſſimo. De quibus conferenda omnino ſunt quae obſeruauit S. V. Ammon in Excurſu, tertiae editioni commentarii Koppiani in ep. ad Romanos inde a pag. 400. ſub lit. J. ſubiuncto.

Caeterum hac ipſâ de re, quam futuram Paullus praedixit, quid nobis exſpectandum ſit, ſi quaeritur: ea, quae iamiam facta eſt magiſque in dies creſcit, rerum Iudaicarum mutatio vtique videtur ita eſſe comparata, vt, Deo ſapienter et benigne mode-

rante, nec reluctante hominum vel ſuperſtitione vel imprudentiâ vel iniuſtitiâ, ratam aliquando fore ſpem Apoſtoli, confidere poſſimus.

Talis vero ac tanti rei Chriſtianae incrementi exſpectatio quemadmodum tempori cuiuis, ita huic maxime, conuenit. Inſtant nempe dies feſti et laetiſſimi, quos eccleſia memoriae nati Servatoris, ac Domini noſtri, Ieſu Chriſti, ſolemniter recolendae ſacrauit. Quibus rite celebrandis vt veram animi pietatem nutriatis et confirmetis, Vos, Cives Carissimi, etiam atque etiam rogamus.

P. P. Dom. IV. Aduent. a. Chr. cIↄIↄcccxxviii.

PAT. JAN 21, 1908

BS 3668 .J55W8	gaylord Winzer Locus Pauli	
FEB 2 '37	Bindery APR 10 '37	
	4- 13720	

BS 3668 .J55W8 WINZER Locus Pau...

(Gayl...

BS 3668 .J55W8 Winzer Locus Pauli

(Ga...

rante, nec reluctante hominum vel ſuperſtitione vel imprudentiâ vel iniuſtitiâ, ratam aliquando fore ſpem Apoſtoli, confidere poſſimus.

Talis vero ac tanti rei Chriſtianae incrementi exſpectatio quemadmodum tempori cuiuis, ita huic maxime, conuenit. Inſtant nempe dies feſti et laetiſſimi, quos eccleſia memoriae nati Servatoris ac Domini noſtri, Ieſu Chriſti, ſolemniter recolendae ſacrauit. Quibus rite celebrandis vt veram animi pietatem nutriatis et confirmetis, Vos, Cives Carissimi, etiam atque etiam rogamus.

P. P. Dom. IV. Aduent. a. Chr. cIↃIↃcccxxviii.
